

DE  
PHILOLOGIAE  
ORIGINIBVS, CONSTITVTIONE  
ET PARTITIONE  
PRAEFATVR

ET V T

DECLAMATIONIBVS QVIBVSDAM  
IN GYMNASIO HALLENSI,

DIE SEPTIMO

ANNEX

P. C. N. MDCCCLXXI

AMERIDIE. HORA SECUNDA, RECITANDIS

# AMPLISSIMI GYMNASII PATRONI

## GENEROSIOVE FAVTORES

HONORIFICAM SVAM INDVLGEANT PRAESENTIAM,

## QVANTA POTEST OBSERVANTIA

## CONTENDIT

JOHANNES GOTTOFREDVS TAVST,

## GYMNASII R E C T O R.

Digitized by srujanika@gmail.com

HALLAE MAGDEBURGICAE

EX OFFICINA FRIDERICI AVGVSTI GRVNERTI





Quod in omnibus eruditionis humanae partibus vsu euenisſe vide-  
mus, vt singulae a tenuibus proficiserentur initii; sed ex diu-  
turno earum vsu singularum tandem naſcerentur principia re-  
gulaeque: id de philologiae notitia in primis comprobant historiae  
litterariae monumenta. Strictiore vero sensu PHILOLoGIAE  
nomine trium linguarum litteris expressam denotamus culturam, ex quarum  
ornatu copiaque pleraque orbis cultioris ingenia monumentorum suorum ir-  
rigauere campos. Sunt eae *Hebraica*, *Graeca* et *Latina*, quarum quasi obſte-  
triciae operaे omnis diuina humanaque inter mortales sapientia ſuos debet na-  
tales. Quam primum enim aliquanto post initia tertii ab orbe condito mil-  
lenarii, inuenio ſcribendi artificio, erectiora quaedam ingenia monumenta  
quaedam eleganti exarare ſtilo coepérunt, ea exemplo ſuo posteritati facem  
praetulere ad varias doctrinæ partes pari industria excolendas, popularium-  
que animos vario doctrinæ genere exornando. Totius vero philologiae  
geminum non incommodo dixeris fontem *Hebraicum codicem sacrum Moſai-*  
*cum*, *Homerique poemata*, quorum ille paulo ante annum mundi 2553 in lu-  
cem prodiit, haec vero anno circiter termillesimo ſunt compoſita. Ab  
his ORIGINIBVS longo temporis ſuccēſu varia vtriusque ſtili edita ſunt ſpe-  
cimina, ex quibus demum puritat, perſpicuitatis, ornatius copiaeque regu-  
lae ſunt collectæ, ad quarum normam eiusmodi ſcripturae genus effor-  
ma-  
retur, quod ad erudiendas flectendasque hominum mentes effet accommoda-  
tissimum. Ac facri quidem ſtili Moſaici, qui Deum iſum habuit auctorem,

tanta

\* \* \*

tanta est praestantia, ut in eo nihil potuerit emendari, nihil expoliri, usque  
dum in Babylonica captiuitate, sacri codicis integritas puritasque variis bar-  
barae illius gentis sordibus ita inquinaretur, ut post redditum ex captiuitate, iu-  
dice GOODWINO, magnum illud MASORETARVM concilium, ESRÆ prae-  
fidis, HAGGAET, ZACHARIAE, MALACHIA aliorumque plurium in re-  
purgando fonte sacro stupendam adhiberet industriad, quæ a successoribus  
tanta fide fuit continuata, ut seruator ipse testetur, ne jora quidem ullum aut  
vnicum apicem sacri canonis posse interire. Licit vero iam Christi tempore  
in gente Iudaica lingua hebraea vernacula esse desisset, in vulgoque in eius lo-  
cum successisset Syro-chaldaica: in sacris tamen publicis templi Synagoga-  
rumque legis diuinæ parschæ seu pensa, prophetarumque haphtarae seu  
segmenta hebraeo idiomatica prælegebantur et exponebantur: quare philolo-  
gorum quoddam apud eos genus, quod γεζμματεῖς, seu scribas vocant Evan-  
gelistæ, sacri codicis puritati, integritati, orthographiae rectæaque pronun-  
ciationi summa inuigilabant cura, et criticorum ex parte fungebantur mune-  
re. Delera a Romanis republica iudaica, studium illud philologiae hebraicae  
a compluribus gentis huius doctotoribus, RABBINIS, Talmudistis, et GAONIIS seu  
doctotoribus excellentibus in diuturno suo exilio, dispari quidem successu fuit  
continuatum: neque tamen prius in artis aliquam formam fuit redactum,  
quam saeculo decimo. p. C. n. Rabbi SAADIAS HAGAON in suo libro, SE-  
PHER IGGARON inscripto primam grammaticam hebraicam concinnaret.  
Cuius exemplum ab hoc tempore Iudeorum complures sunt imitati; donec  
hoc philologiae genus a IOHANNE REVCHLINO eriam inter christianos lon-  
ge feliciore successu propagaretur. In primis praeterito praesentique saecu-  
lo protestantium viri celeberrimi BVXTORII, WASMVTHVS, OPITIVS,  
NOLDIVS, DANZIVS, vterque MICHAELIS, STARKIVS, SCHVLTEN-  
SIVS aliisque permulti ipsis Iudeis philologiae hebraicae palmam praeri-  
puere

Profanae philologiae fons est HOMERVS scriptorum graecorum anti-  
quissimus, cuius exemplum plura excitauit poetarum ingenia, quos excepe-  
re historicæ, philosophi atque oratores. Quanta igitur codicis hebreæ sacri  
apud Iudeos fuit auctoritas, tanta poematum homericorum apud graecos  
romanosque fuit existimatio. Sed initio sparsa modo et confusa Iliados et  
Odysseæ membra a Rhapsodis in Graecia decantabantur, quos EVSTATIVS  
Homeri Scholiastes ideo vocat συρπαπτοντας, quod rhapsodias illas ex vtro-  
que poemate consuerent, suisque additamentis interpolarent. LYCVRGVS  
vero primus integrum vtriusque poematis exemplar ex Asia in Graeciam in-  
tulit.

4

tulit. **PISISTRATVS** autem, teste *Cicerone* l. III. de Orat. cap. 34. et *Aeliano* hist. var. l. XIII. cap. 14. dispersa illa et confusa *Homeri* membra collegit, et in *Iliada* et *Odysseam* distinxit. **SOLON** vero, referente *Diogene Laertio* in ejus vita, Segmento 57. et *Suida* in Lex. sub voce ὑποθελη, legem promulgavit, qua *Rhapsodis* necessitatim imposuit; ut alter initium saceret, ubi alter desisset, atque ut *Homeri* poemata ordine resarcirentur, ut esset versuum sensuumque consequentia. Filius denique *Pisistrati* **HIPPARCHVS** *Rhapsodos* coegit carmina haec in communi Graecorum conuentu, qui πανελλήνια dicebatur, publice decantare. Ita stili homericis elegantiam magis in vulgus emanauit, ipsisque pueris in scholis tandem *Homeri* poemata auctoris classici loco sunt exposita. Varii ergo Graecorum scriptores et in his philosophi varios ex Homero flores sententiasque scriptis suis inspergentes, stilo suo insignem ornatum elegantiamque conciliarunt. *Rhapsodorum* vero audacia nouo eidam philologiae generi natales dedit. **CRITICORVM** enim genus quoddam, adhibito acri judicio et examine *Rhapsodorum* maculis poemata *Homeri* expurgabat, locos menses sanabat, carmina supposititia excludebat, turbatos versus ordini suo restituiebat. Horum facile princeps fuit **ARISTARCHVS**, qui censoria quadam auctoritate, suppositios in *Homero* versus virgula seu obelo, genuinos asterisco in margine apposito notabat. Laudat hoc philologorum genus *Quintilianus* lib. I. c. 4. *Multum quidem his* (scil. grammaticis) *omnibus judicium est. Quo quidem ita severa sunt usi veteres grammatici*, ut non versus modo censoria quadam virgula notare, et libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subdititios summouere familia permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. Ab *Homeri* itaque temporibus gens graja puritatem, elegantiam copiamque stili graeci ita excoluit, ut reliquae gentes ab ipsis, propter sermonis patrii ruditatem barbari appellarentur. Transit deinde ex Graecia victa ad victores Romanos adhuc rudes philologiae studium stilique elegancia teste **HORATIO** Lib. II. ep. I. v. 156.


*Gracia capta ferum vicorem cepit, et artes  
Intulit agresti Latio, sc̄ horridus ille  
Defluxit numerus Saturnius, et graue virus  
Munditiae pepulere.*

Primi enim apud Romanos philologiae magistri homines fuere semigracci, qui domi forisque docentes, prima poeseos eloquentiaeque specimina apud Romanos ediderunt. Horum familiam ducunt **LIVIVS ANDRONICVS** et **QENNIVS:** quorum ille *Livii Salinatoris libertus*, proximo post primum bellum

bellum punicum natumque Ennius anno, seu anno mundi 3764 fabulam, id est, Tragoediam Romanos docuit: hunc vero Cato secum ex Sardinia Romam deduxit, eoque litterarum graecarum vesus est praeceptore. Is versibus annales urbis Romanae Scipionisque res gestas compositus. Horum exempla multa praeclara Romanorum excitarunt ingenia, quae gradatim per quadringentos annos romanam poesin ad virile quoddam robur eximiamque euexere venustatem. Pari simul industria exulta est romana oratoria, historia et philosophia, quarum specimina pari stili praestantia pulchritudineque enierunt. Post receptos enim poetas Grammaticae quoque studium ex Graecia Romanum transiit. Id vero, referente SVETONIO cap. 2. de illust. gram. primus in urbem intulit CRATES MALLOTES, ARISTARCHI aequalis, qui missus ad senatum ab Attalo rege, inter secundum et tertium bellum punicum, sub Enni mortem, cum in regione palatii, prolapsus in cloacae foramen, crux fregisset, per omne legationis simul et valetudinis tempus plurimas ἀναρτήσεις subinde fecit assidueque differuit, ac nostris (i. e. romaniis) exemplo fuit ad imitandum: qui hacenus eum sunt imitati, ut carmina adhuc parum diuulgata, vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retraherent, ac legendi commentandoque etiam caeteris nota facerent. Eminentia inter hos grammaticos VALERIVS CATO, qui eodem Suetonio auctore, Syllanis temporibus docuit multos et nobiles, visusque est peridoneus praeceptor, maxime ad poeticam tendentibus, grammaticosque scriptis libellos. Duo eius poemata LYDIA et DIANA romanis tantopere placuere, ut prius dictiones eruditorum, posterius gloria suorum temporum appellaretur, ipseque hoc maestaretur encorio:

*Cato grammaticus, latina Siren,  
Qui solus legit ac facit poetas.*

Gracia itaque quemadmodum inventrix cultrixque poeseos, oratoriaie, historiae, geographiae, philosophiae ac plerarumque artium merito habetur: ita singularium litterarum monumenta insigni stili cultu ornatissimum expoliendi facultate polluit, quae philologiae potissimum nomine denotari solet. Felicissima sane Graecorum fuere ingenia in excogitandis disciplinarum terminis aptissimis, in concinnandis sententiis acutissimis, in formandis periodis rotundis ac perspicuis, in contexendis figurarum troporumque floribus, quae omnia lectorum studium attentionemque mirifice accendunt, mentemque humanam luce et claritate perfundunt, adeoque cognitioni rerum solidae efficacissimo sunt adiumento. Quae philologiae praestantia cum Philippi et Alexandri aeuo inter graecos, Augusti tempore inter romanos omnium maxime flo-



ret, reliquae pariter eruditionis humanae partes in vitaque gente cultissima mira cepere incrementa: vtraeque vero et philologicae et reliquarum artium disciplinae saeculis barbaris pariter occubuere ac periere.

Expositis philologiae originibus ad renatam praesentemque ejus constitutionem pedem promouemus. Renascentibus itaque saeculo XIV et XV litterarum studiis philologia reliquis faciem praetulit. FRANCISCVS quippe PETRARCHA Aretinus, referente ERASMO *refloriscentis latinitatis princeps fuit*, idem primus ab Augusteo aeuo laurea poetarum fuit redimitus et PHILIPPO LABBEO judice *ingenio eloquentia, latinae patriaeque linguae cultu*, ac *poetica facultate saeculi sui princeps litteras a multo aeuo sepultas primus e Gothicis excitauit tenebris*, primusque Homerum in latinum transferre coepit sermonem. Hujus exemplo saeculo XV summum graecorum latinarumque litterarum excolendarum in Italia excitatum fuit studium, quod insigniter promouebant *graeci expugnata Constantinopoli in Italiam delati exules*: quibus omnibus diuinum illud munus inventae artis typographicae opportunissimam suppeditabat ansam praestantissimos veteres hebraicos, graecos latinosque scriptores in lucem protractos diuulgandi. Quibus subsidii factum est, vt in philologiae campo vastissimo colendo plerarumque Europae gentium illustria ingenia aemula industria studioque decertarent. Excepere hos saeculo XVI et sequentibus insigni numero philologi, et qui in primis ad eorum pertinent familiam oratores, poetae criticique, quorum ingens catalogus recensetur in HEVMANNI conspectu reip. litter. p. 139. sqq. item p. 155. sq. nec non p. 173. sq. In Gymnasio Academiisque variis editis singularium partium institutionibus ac praceptis quaeque philologiae partes in formam tandem artis sunt redactae; antiquitatum, historiae geographiaeque veteris subsidia philologica in lucem sunt proracta: sacri pariter ac profani graecorum latinorumque scriptores integris commentariis notisque perpetuis sunt illustrati: varii generis lexica ingenti labore sunt concinnata, quae philologiae cultoribus insigne laboris suppeditant compendium. Neque quidquam fuit omissum neglectumque, quo cujusque harum linguarum genius, idiotismi, puritas ornatusque illustrari queat Denique praestantissimi philologiae flores ita se se orbi cultiori commendarunt, vt in pleisque Europae linguis scriptisque ciuitate donarentur.

PARTES denique philologiae, sensu strictiore quatuor constituantur, prima fundamentalis seu *theoretica*, tres reliquae *practicae*.

I. THEORETICA grammaticae absoluitur praceptis, agitque de vocum singularium generibus, seu partibus orationis, earum significatione, de-

riua-

sitione, compositione, flexione, motione, genere, paradigmatum in nominibus ac verbis analogia et anomalia, orthographia et prosodia, quae coniunctim uno etymologiae nomine continentur. Syntaxis aut tribus his linguis communem, aut cuiusque propriam compositionem secundum cuiusque genium proponit. Pars eadem archaismos, barbarismos ac solecismos fugere docet: ac denique figuram quasdam ornataque exponit constructionem. Ex quibus omnibus stilus purus, perspicuus ornatusque profaicu[n]s nascitur.

**II. ORATORIA**, ex practicis philologiae partibus prima, integrorum thematum declamationibus pertractandorum delectum ac partitionem, argumentorum probantium, illustrantium, commouentium inventionem dispositionemque; periodorum genera, transitionum connexionumque formulas, troporum figurarumque flores, temperatam variatamque stili copiam suppeditat, argumentisque conciliantibus benevolentiam attentionemque captare docet: ac stili denique epistolici, historici, oratorii ac philosophici characteres virtutesque examinat.

**III. POETICA** regulis de Syllabarum quantitate, pedum ac metrorum generibus praemissis, characteres virtutesque integri poematis lyrici, exegeticici, dramatici, epicique demonstrat, tropos figurarumque poetis maxime familiares colligit. In genere vero harum partium utraque dictiōnum phrasiumque notiones proprias ac translatas, earum emphasin, proverbiales et solennes formulas, allusionumque variarum acumina veneresque venatur.

**IV. CRITICA** denique non modo criticorum veterum more de locis suspectis, supposititiis corruptisque sententiam fert: sed potissimum definit, stilusne argumento materiaeque congruuus sit et conueniens, an incongruuus et ineptus. Quod supremum philologiae genus exactissimam stili simul argumentique cognitionem acutissimumque requirit iudicium.

De disciplinis philologiae subsidiariis, antiquitatibus, historiā, geographiā, chronologiā, mythologiā breuitatis leges addere quidquam vertant

Quantus philologiae sacrae sit usus, quanta necessitas in interpretandis fontibus sacrī, quibus solis aeternae numinis sapientiae usum est mortalium generi verum majestatis diuinae cultum certissimamque ad sempiternam felicitatem viam patescere, b. SALOMO GLASSIUS IN AUREO PHILLOGIAE SACRAE OPERE AD OCULUM DEMONSTRAVIT. Graecae vero romanaeque philologiae exquisita notitia cum totius orbis literati communis facundissimaque sit interpres, per quam praestantissima ingenii humani opera ad publicum euulgantur usum; cum eius ornato nihil cogitari queat venustius, nihil ho-

mine



mine dignius; cum denique omnibus sublimioribus scientiis faciem ea praeferaet lucidissimam: cunctis profecto, quibus diuinae humanaeque sapientiae studium curae est cordique, tanto maturius, tanto alacrius, tanto constantius praecepta eius animo recenti sunt imprimenda, quanto felicius his ducibus sublimiorum disciplinarum penetralia recluduntur, earumque thesauri in perpetuum usum memori reconduntur pectore. Haec sunt vestra, perdilecti Gymnasii tirones (vobis enim, non viris, haec scribuntur) summe necessaria solidae eruditionis propaedeumata, quibus mens vestra ad sublimiora dogmata quam felicissime praeparatur: hic est campus vegetae vestrae aetati destinatus, qui indefessa industria vobis subigendus, multoque sudore rigandus est, ante quam coelestis humanaeque sapientiae semina animis vestris optato cum successu poteritis committere: hi sunt gradus, per quos solos ad augustissimum sapientiae templum eniti vobis conceditur. Discite tot deperditorum litterarum exemplis, tot illustrium professorum querelis, quam inutile quam inuisum subcelliorum academicorum futuri sitis pondus, quando nulla humanitatis disciplina exasciatum rudemque ingenii truncum, loco elegantis statuae mercurialis ipsorum auditorii sitis obtrusuri, aut cruda, confusa tumultuaria humanitatis studia ad sublimiora dignata adhibituri.

Sed reuocandus est calamus ab umbratili hac philologiae delineatione ad stata illa solemnia, quibus, crastina luce, post breve exercitium oratorium, immortalis memoria sancti senis, Ioachimi Oelhasii, musarum euergetae propensissimi grata mente erit recolenda. Quibus ut in umbra nostra aliquam conciliemus lucem claritatemque: **ILLVSTRIVM GRAVISSIMORVMQUE GYMNASII PATRONORVM GENEROSORVMQUE FAVORVM** splendidam praesentiam, crastina luce, hora secunda pomeridiana, in auditorio primi ordinis, officiosissimis exoramus precibus, Verba ibi sunt facturi, tres ingenui primi ordinis ciues, et quidem

*Augustus Gottosredus LITZMANN, Hallens. de felicitate animi sua sorte contenti, idiomate germanico.*

*Michael Andreas BEYER, Thuringus, de praestantia legis naturae in conservando genere humano, Latine.*

*Carolus Wilhelmus ELLENBERGER de ZINNENDORF, Hallens. de perenni gloria Bethleemiticae sedis natalis servatoris nostri, germanice. Post hos RECTOR euinceat Christianae religionis immotam veritatem ex reparandae salutis tempore a Daniele exactissime definito latine.*

P. P. in Gymnasio die 6 Ianuarii 1771.

W 78

H 1856 9.

DE  
PHILOLOGIAE  
ORIGINIBVS, CONSTITVTIONE  
ET PARTITIONE  
PRAEFATVR

ET V T



BVSDAM

SI.

ANDIS

# PATRONI

## ESENTIAM.

IA

TAVST,

